


06

04

10

15



Quicquid habet tamen æterni de munere Patris.  
Id studio rebus seruiet omne tuis.  
Ipsa tuas arsit iam pridem dicere laudes,  
Nec studium Musæ dissimulare suæ.  
Ergo cum nuper subiisti moenibus Ulmæ,  
Hinc oblata fuit laudibus ansa tuis.  
Cœpi sis ueluti uenatus montibus altis,  
Quæ fluit irriguis Brentius amnis aquis.  
Hinc Dea te Pitho iubet Ulmæ limen adire,  
Nec mora mox celsæ limen ad urbis ades.  
Ingressum cecini, cecini gratatio quanta  
Ingressus fuerit, quantaq; fama tui.  
Inclutus obtulerit tibi quomodo dona Senatus,  
Plurima ut edideris Principe digna uiro.  
Ut templum monitu Pietatis adiueris amplum,  
Carpseris & uerbi pabula sacra Dei.  
Ut fuerit Pietas abitura è Teutonis oris,  
Utq; sit à diuo diua retenta Patre.  
Hinc quæcunq; tibi dilecta uideris urbe,  
Omnibus & fueris carus in urbe bonis.  
Deniq; quàm subito cara discesseris urbe,  
Quomodo discessum luxerit ipsa tuum.  
Sæpè Patris tibi laus, tibi laus tua sæpè legetur,  
Coniugis est tibi laus sæpè legenda tuæ.  
Perlege diffusa Princeps hæc carmina fronte,  
Eq; animo nôris esse profecta bono.  
Nec quia non æquo cernis procedere passu,  
Idcirco gremio reijce uisa tuo.  
Est Elegis etiam sua non ingrata uenustas,  
Nec iuuat Heroo quosq; tonare pedc.

Si

Ende

Anfang